



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 50. Rex in Triumvirorum potestatem redactus, ac Parisios abductus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

beram ostenderet, Fontem-bellaqueum contendit, ubi acceptis Condæi Principis literis certior reddebatur, quod in Aurelianensi urbe firma cudisset auxilia, quæ conscenso equo nunc exequi pararet: ubi etiam, si ipsa Regem eo conducere vellet, tota Aula contra Triumvirorum ausus tutum asylum re-  
pertura esset. Verum hujus moliminis executio haud adeo expedita erat.

§. L.

*Rex in Triumvirorum potestatem redactus, ac Parisios abductus.*

*Thuan. l. c.*  
*Mezer. hist.*  
*de France*  
*tom. 2. abreg.*  
*chron. tom. 5.*  
*p. 85.*  
*Belc. comun.*  
*l. 29. n. 39.*

Navarræ Rex præprimis custodes assignabat, qui Reginam Fontebellaqueo exire prohibebant, & postea ipsemet quantocius Parisios contendit, ubi urbis administratione Montmorentio Connestabilis Filio ablata eam Borbonio Cardinali conferri iussit. Subidem tempus Marlæus, atque Ædiles rursus quingentorum militum præsidium in urbem recipiebant, quod tamen, cum adhuc Montmorantius civitati præerat, facere recusabant: Regina vero consilii inops utramque partem pari favore complecti nitebatur, cum Triumviri haud abs re suspicarentur, ne Condæus Princeps, cum jamjam S. Claudii pontem pertransiisset, Regem in suam potestatem redigere moliretur, ut hac ratione æquam

æquam belli, quod movere intenderat, Sæc. XVI.  
A. C. 1562.  
causam obtendere posset. Verum Navarræ Rex Guisii Ducis, ac Montmorentii Connestabilis sollicitatione animatus Fontembellaqueum petiit, ubi in sacra hebdomada adveniens itineris sui causam Reginæ exposuit, rogans, ut Regem Parisios, utpote locum oppido securum, abduci permetteret. Regina hac declaratione plurimum quidem commota nihilominus cedere cogebatur, unde prærepto etiam consultandi spatio confestim Navarræ Rex juvenem Regem Melodunum abduxit: Regina quidem, quæ Filium suum comitari jubebatur, eundem sequebatur vultu ad tantam serenitatem studiose composito, ut nullum tristitiæ signum proderet, Rex autem juvenis dolorem suum dissimulare haud poterat, sed puerilibus lacrimis ubertim effusus testabatur, quod se per vim veluti in captivitatem abstrahi iniquo ferret animo: altera autem die Vincennas delatus, sequenti die Lutetiam Parisiorum venit. Hac itaque ratione pro causæ æquitate pugnasse credebantur, atque in adversam Protestantium partem rebellionis macula fuit rejecta, a qua etiam nullo unquam obtentu sese purgare poterant.